...nislaus

...xe.

Samboriensis Coll. Soc. Jesu: Sublimitas sagittae in origine, meritis, pace, belloque etc. Illmi D. Stanislai Chomentowski – inter funebrales ignes et exequias Annae Chomentowska etc. publicae orbis luci exposita.

SVBLIMITAS
SAGITTÆ

IN ORIGINE, MERITIS, PACE, BELLOq;
AMORE REIPVBLICAE, ET PRINCIPIS
DOTIBVS, MAGNI ANIMI,
HONORIBVS,
ILLVSTRISSIMI
D. STANISLAI
IN BEŁTOWO & IASIEŃIEC
CHOMENTOWSKI
PALATINI MASOVIÆ
CAPITANEI
RADOM: ZWOLEN: ZLOTORIEN: DROHOBIC &c.
Inter
FVNEBRALES IGNES & EXEQVIAS.
ILLVSTRISSIMÆ
D. ANNÆ
De WIERZBOSCIIS
CHOMENTOWSKA
PALATINÆ MASOVIÆ &c.
MATRIS TANTI FILII ÆSTIMATISSIMÆ
PVBLICÆ ORBIS LVCI
EXPOSITA
Ab OBLIGATISSIMO SVIS FVNDATORIBVS
COLLEGIO SAMBORIENSI SOCIETATIS IESV
1712.

LEOPOLI
Typis Collegii Societatis IESV

IN STEMMA
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS

I

In Numidæ ferro, fastos hic marmore scribit:
Ille suos duro miles in ære locat.
Cœlat hic argento, toti quod tinniat Orbi!
Ponit hic aurato gesta ferenda sua.
Sunt PALATINO laudes, est gloria facti:
Famaq; festivis est celebrata choria.
Non tamen in tabulis effingit gesta Corynthi,
Nec credit duris Nomina Magna scabris.
Evolat in cælos pennis librata sagitta,
In stellis scribit Magna trophæa Domus.

II

Non huc, aut illuc, vultum faciemq; retorquet,
Quem tenuit, retinet fixa sagitta locum.
Non hanc blanditiæ flectunt, non dulcia dona,
Meta, volaturas non vocat inter aves,
Non premit in terram, subjectum pondere ferrum,
Nec sibi præfixum, penna remittit agrum.
Sed manet immota facie! circumspicit astra!
Stellatasq; poli computat arte faces.
Quantus amor Dominæ! roseis vestigat in astris,
Pulchri Zodiaci, quo sedet illa loco?

ILLVSTRISSIME
…ALATINE
FVNDATOR
…AXIME.

MAgnos casus, magnæ excipiunt lachrymæ : dolorem ingentem, non parvi gemitus : mortem Magnorum, & funera, par luctus. Occubuit naufragio Phaëton, fatum flevêre Heliades, gemmis: ut mors illustrior esset electro non parcitum. Si enim magna dispendia, parvo luctu æstimarentur, minor esset dolor, quàm ca…tium esset in lachrymis, æquale ruinæ magnæ Amisimus an…STRISSIMVM GENITOREM TVVM: an exigua …it? in illo enim quanta fuêre! Integritas summo Viro …ec frangi, nec minui potuit. Ita stetit, ut staret im… sic vixit, ut exemplo illius viverent. Iustitiam coluit, …emo justiùs: bellavit, ut rarò alter feliciùs. Senator officio, …stis. Erat illi gravitas, qui Senatum fecit graviorem, se ipso …o. Erat Regum amor, illa æstimatione, ut nisi Regibus ipsis minor. Tantum, habuit Regnum, tantum flevimus! Parvane ruina est post casum? Amisimus nuper, & ILLVSTRISSIMAM MATREM Tuam, ad cujus funus stamus hodie Quanta fuerit, ex tenebris conjicimus! Festinantem ad occasum solem ex umbra. Nihil egit, quod non esset sideribus inferendum : nihil perfecit, quod non dignum altaribus. Huic justa persolvimus: ad ferales fumos lachrymas elicimus. Quis enim ad tantos casus, oculis aresceret? Cum hoc

igitur

ILLVSTRISSIME PALATINE FVNDATOR MAXIME.

MAgnos casus, magnæ excipiunt lachrymæ: dolorem ingentem, non parvi gemitus: mortem Magnorum, & funera, par luctus. Occubuit naufragio Phaëton, fatum flevêre Heliades, gemmis: ut mors illustrior esset electro non parcitum. Si enim magna dispendia, parvo luctu æstimarentur, minor esset dolor, quàm casus: nec pretium esset in lachrymis, æquale ruinæ magnæ Amisimus antea ILLVSTRISSIMVM GENITOREM TVVM: an exigua calamitas fuit? in illo enim quanta fuêre! Integritas summo Viro digna: hæc nec frangi, nec minui potuit. Ita stetit, ut staret immortalis: sic vixit, ut exemplo illius viverent. Iustitiam coluit, quam nemo justiùs; bellavit, ut raró alter feliciùs. Senator officio, & gestis. Erat illi gravitas, qui Senatum fecit graviorem, se ipso digno. Erat Regum amor, illa æstimatione, ut nisi Regibus ipsis minor. Tantum, habuit Regnum, tantum flevimus! Parvane ruina est post casum? Amisimus nuper, & ILLVSTRISSIMAM MATREM Tuam, ad cujus funus stamus hodie Quanta fuerit, ex tenebris conjicimus! Festinantem ad occasum solem ex umbra. Nihil egit, quod non esset sideribus inferendum: nihil perfecit, quod non dignum altaribus. Huic justa persolvimus: ad ferales fumos lachrymas elicimus. Quis enim ad tantos casus, oculis aresceret? Cum hoc

igitur

igitur præsenti luctu, ad TE ILLVSTRISSIME festinamus, in sinu deposituri lachrymas. Admitte hoc folium, Tuo Elogio, & nostris doloribus grave. Nihil hîc sublime leges; tantùm enim hæc meta est SAGITTÆ TVÆ. Ex Te sublimitas omnis. Excedis omnia, & nostram dictionem Gravitatem, ex TVA Dignitate derivabit, ex SAGITTA acumen. Da vultum Illustrem, ut soles accedentibus. nec æstimi datoris munus, sed animum. Hic excelsus est, quia in sublimem Tui adorationem formatus: aut exiguus est, ut à Te admittente elogium, fastigium habeat. Ideo demissius procumbimus ad pedes FVNDATORIS MAXIMI

Æternis Honoribus Militaturi

IN COLLEGIO SAMBORIENSI

TVO

&

SOCIETATIS IESV

NOn querimur cineres: vivis Bellator in armis:
Non Atavos, tristemq́ rogum; si fata, Senatûs
Integra compensant, magno dispendia censu,
Et donat fortuna Virum pariterq́ Togatum,
Et pariter, Lechico post Fulmina Fulmen in Orbe.
Nil cinis est: ex quo surgunt incendia terris
Barbaricis, hostiq́ leves rapit ore favillas,
Et ructat, cervice, cavâ sub casside tabum.
Non jactura gravis dubia dum luce ruente,
Occidua Phœbus vultum componit in urna:
Si post umbrosæ, pallentia funera noctis,
Multiplices spargunt remeantia sidera stellas,
Quæ sunt Dardaniis damnosa pericula terris?
Si Patri Thetidiq́ suæ, successit Achilles,
Hectoris, & Trojæ magnæ, pars prima ruinæ.
Æneæ Ascanius, Romana potentia sumpsit
Vires unde suas; & fecit nomen Iuli,
Per mare, per terras, per dissita regna timendum:
Nec se Roma capit, sub tanto sidere nasci.
Compensat natura vices: post grande Colossi
Funus, & in cineris taciturna lege jacentis
Exuvias Matris Magnæ, manesq́ Paternos,
Successit Lechici Regni Fortuna superstes:
Vt post Atlantem nitida sub mole gementem,
Sustulit in geminos humeros Tirinthius Orbem.

POst orbitatem nostram, dandum esset ingẽs dolori spatiũ; ne in plures disipatus lachrymas, in sua magnitudine decresceret: formãdi vultus in pallorem, ut pateret, animum nostrũ sub pondere funeris laborare: cogendum esset in suspiria pectus, ut constaret mysteria cordis ad

communem luctum Fundatricis Illustrissimæ ingemiscere. Sed habet dolor suum levamen: habent amara suum nectar: & aculeis apum mella implicantur. Compensas enim ferales tedas splẽdoribus Tuis Illustrissime PALATINE: extinguis communes umbras luce Majorum Tuorum, qui in primo ætatum officio Te præcesserant, Senatu, Marte spectabiles; ut gloriam & dignitates à se partas, Tua dignitate servasses. Quid enim illi campi erant, qui nobili profusione sanguinis post victorias Majorum rubebant? illæ cædes hostium, quæ aperta planitiei fœdaverant cadavere? illa telorum fragmina, & trunci hastarum corporibus Barbarorum injecti? illa Urbium expugnatarum rudera, & semiustæ arces? illæ munitiones, interrupto commeatu, ad indigentiam, longa patientia coactæ? nisi, ut in Te, pulcherrima successione, Antiquorum exempla perennarent, non ut præstares æqualia, sed ut similia superasses. Una semper eademque est Majorum contentio, ut similes posteros faciant; sed est quædã fatorum mutatio, & blandientis Fortunæ vultus, ut cum velint sibi pares relinquere, majores videant. Hoc nec infra felicitatem Majorum, nec supra fortunam posterorum: utrumq; æqualitate ponderatur, ut unum sit ætate beatius, alterum novo felicius exemplo. Principes Tui Chijovienses SWATOPELCII, bello finitimis infuso, prorogato, ultra veteris potentiæ limites Imperio, jura Magnæ Russiæ dabant, eâ reverentiâ, ut ad memoriam nominis, blando annutu, subjecta posteri-

Sublimitas Illustrissimi Palatini in Origine magna à Principibus Swatopelciis per Poloniam. Hungariam.

steritas assurgat; eâ amabilitate, ut amādo hactenus formidēt. Nihil defuit clemētiæ in victoria: nihil moderationis in pœna: nihil amoris, milite inter algores rigente, languēte inter vulnera, deficiente animo, inter recentes dolores; ut non de solis hostibus, clemētiā largiendo, etiam de animis militū triumphū agerent beneficia donando. Hoc verò Tibi parabatur, ut per antiquos Principatus, per tot victorias, per tot erecta trophæa, & triumphales portas ingredereris, ut Te ipsó faceres posteritatem feliciorem. Sed magnitudo animi Majorum Tuorum, suis limitibus cohiberi non potuit: more primi sideris quod regna Arctois subjecta frigoribus calenti temperie recreat, & sub declinato occasu jacentia fovet imperia; & Austrinis obnoxia temporibus sui vultûs indulgentiâ fortunat: ita ne remota tantùm regna beneficiis Majorum Tuorum ornarentur, Reipublicæ se nostræ ingenti virtutum comitatu intulerant, ut ad Te gradus sterneretur, qui omnia recte facta præstares, quæ ante non fuissent. Adeo laborandum erat, sudandum adeo ut post tot siderum motus, sequereris lux publica. Hanc ut majorem Tibi tulissent, ultra fines Regni bellandi ardor promotus, ultra Carpathios montes in Pannoniam se effuderant, reprimendis hostibus Duces electi, ubi tantùm bello, paceq; sudatum, quantùm fortitudo & rerum optavit felicitas, Tua necessitas pro Te merebatur. Quidquid enim illi ad gloriam, ad nominis augmentum, continuâ agitatione moliti; quidquid bello, Senatusque consilio

Ducibus Exercituum celebratis.

factitatum; quidquid ad Regni Majestatem, vires, libertatem, stabiliendis juribus pertinaciam, amoris publici, donatum; totum id factum, ut efformaretur agendorum imago, non Tibi, qui supra exempla faciendorum emines, sed ut dones ex Te exempla quæ faciant. Summorum hoc Ducum officium præire: circumcursare legiones, vigilias nocte concubiâ capere, brevi somno angustoq; refici, vili cibario pasci, ventorum intemperiẽ, & subitam aëris insolentiam tolerare, manu, osculo, donarijs, promissione fluctuantes militum animos in obsequio retinere; sed omnia quæ à Tuis olim Ducibus agebantur, nihil præter vetustatem habent cùm in Te sint recentia, quæ plus habent fortunæ, quàm antiqua postulavit. Ita in alienâ arenâ, alio cum hoste, alieno sub sole, elementis, terrâ, montibus, paludibus dimicatum: non enim ab uno adverso, immortalis gloria petenda erat, quæ Te nostræ ætati, nostro Orbi monstraret, post tantos Viros, Te non minorem successisse. At si Genitor Tuus Illustrissimus, nuper inter communes lachrymas fato sublatus, redit in memoriam, addit pondus antiquæ ætati, & novæ: illa enim prior Ducum ætas tantùm profecit, quantùm iste reliquit Te Filium, à quo, ablata ætas lucem sumeret immortalem. Ipse verò, illa judicii lege, illo prudentiæ dominio, illo agendorum negotio, illâ æstimatione ad summos Reges eluctatus, ut huic soli provocato, non ambitu laboranti, ultro commiserint fasces Senatûs, legationum onera, cum grandi Oriente, cujus avaritiæ

In Illustrissimo Parente Martino Chomentowski Palatino Masoviæ Viro per omnia summo.

ritiæ

ritiæ, limites tandem posuit terminales, ne plura vellet, & ne sitiret plura quam optat. Magnum est Regnorum sitim cohibere in Principe, quem urget æmulatio, & dilatandi cupido. Unum altero premitur, sed qui utrumque moderato temperamento flectit, excedit alienam ambitionem, & suam. Neque terruit Patrem Tuum anceps periculorum fortuna, ardua in conficiendis moles, superandi hostium obstinati animi, supercilio gentis exasperati, sua retinentium, sed arte, manu liberali, & prompta, animos fregit objecitque famelico Orienti offam, qua distento, nobilem Regni Provinciam eripuisset. Ita balenis insidiantibus. Gubernator prædam ejicit, aut fictis lenocinijs monstro illudit, ut huc & illuc circumacta, instabili freto onerariam, naufragio subducat. Actum est æternum opus! nihil terrarum regni Oriens sibi vendicavit, licet arduo conatu molitus ingentia, ut àmaximis mensuram poneret habendi minora; ille tamen, nec quod appetiit retinuit, nec eripuit quod Regni erat, plura donavit quam optavimus, hanc enim pacem amaverat, quam avaritia disturbaret, si negasset. Et ut perpetui limites starent, saxa locaverat ingentia, monumentum perennaturæ inter arma pacis. Hic sua nomina impresserat, ut successura legant sæcula; quam gloriose GENITOR Tuus, ad hos lapides, deliciosam fregerit Asiam! quàm sanctè, auream Regni libertatem in hoc Lydio locaverit! quàm providè, Othomanicæ avaritiæ sepulchrale saxum posuerit! quàm gloriosè suum nomen in

hoc trophæo erexerit! quàm diligenter ſpeculam ordinaverit, de qua vigiles excubiæ, publicæ ſecuritati proſpicerent. Cùm Imperatoris fungeretur officio, quas ille cohortes non diſsipaverit buſtuarii hoſtis, cui ars bellandi, eadem velocitate fugere & ſequi? quos Scytharum cuneos parva ſuorum manu non terruerit? quas palãrium turbas, diripientium vacuas armis viriſque colonias, intra terminos non rejecerit? fateatur, qui ſuam felicitatem, alieno periculo probavit, & hoſtis ſenſit ſuum diſpendium victoriâ alienâ ſuperſtis. eminent hactenus in Beſſarabia tumuli teſtes victoriæ, qui ſuo pondere, pridẽ fuſos hoſtes depriment, ne quadam temeritate animati, iterum, quaſi in novam erumpant aciem, vindicaturi cladem, ſi poſſent. Satis eſt, intra exiguos pulveres, tantos teneri hoſtes, & ſolo cinere adorationem ferre; cùm enim in maximis decreverint, parvitate adorent. Hoc breve Illuſtriſsimi PARENTIS elogium, ſed ille grande facit, ex ſe elogium. Mihi tamen Illuſtriſsime PALATINE, totum elogium erit ex te ipſo: quales Tibi animi dotes, dedêre ſuperi: qualem judicii maturitatem: qualem eruditionis præſtantiam: qualem mentis habitum in belli paciſque jure componendo, cæteraq́; decora. Et ut ſingula perſequar ſingulis imponam moram. Illud ante omnia Tuum eſt: quod nulli debes, niſi Tibi. Primum omnium rerum agendarum prudentia: hac ſine, nec regna Principibus ſubjecta ſtare, nec minor turba in unum coaleſcere, nec privatorum domus recto fle-

[S]ublimitas excellẽti [iu]dicio & [pr]udentiâ [I]lluſtriſsimi [S]tanislai [C]homento-[wſ]ki; Palati Maſoviæ

cti

ꝺi regimine: omnia in pejus ruere; veluti ſole in ſua luce fatiſcente, Orbis in tenebras cogitur, occurſante populo, fatorum neſcio, unum pavente, ne á tanta luce ſatalis deſcendat calamitas. His armis Conſul Tullius Catilinam ſuſtulit de Senatu, paratum, Urbis excidium minari, & exequi, incendiis cædibuſq; Romam fædare. Quæ omnia ô nefas! ſociis aggreſſus Patritiis. Curii, Porcii, Syllæ, Cethegi, Autronii, Varguntcii, Longini, & Lentulus Prætor. Tot nomina immanis facinoris ſatellites erant. Et actũ eſſet de pulcherrimo Imperio, niſi prudẽtia Conſulis obviaſſet. Hæc erũpẽtia compeſcuit incẽdia, ut reverentiâ Conſulis tanti miteſcerent, & horrore ma-maioris periculi. Hæc & tu quæ non perfeciſti? Turbo ille qui totam Rempublicam concuſſerat, pulcherrimam ædem, in fragmenta, & tabulas diſſociaverat, eo conſilio ut Vir Viro, Senatus Senatui, Eques Equiti, animus animo non cohæreret, ſed ruptis compagibus, ſuâ mole ad perniciem inclinaret: Tu ſpectabili judicio, prævertiſti fatorum malignitatem, ut nollent magis ſævire Te Conſule, quàm optaverant. Quod maximum eſt, publicis malis occurrere, privatorum res ſervare, alienis ſtudere utilitatibus, ſuas negligere, fortunam in commune proferre, vitæ integritatem, publicis profundere; & agere quod eſt difficillimum ex omnibus bonũ, aliena commoda ſuo damno probare. Præſtitiſti; ut oſtenderes, Te non Tibi, ſed à Te conferendis vivere beneficiis. Tuam fortunam, non Tibi, ſed pri-

Florus Lib. 4. Cap. 1.

vatorum militare indigentiæ: Tua consilia, non Tuæ æmulationi, at securitati publicæ prodesse; ne ulli sit dubium, totam à Te rerum gestarum, agendarumve seriem, ad primum Regni devolvi fastigium, ut stet ea firmitudine, qua stare inchoaverat. Quapropter, illo rigore animi acerrimo, cogitationum momenta ponderasti, & antequam procella jactatioq́, mentium humanarum se evolveret, ne tranquillitas concuteretur, præcurrebas; ratus hanc esse beatitatem omnium, si viverent profligato timore periculi. Quod ut faceres, hūc animi propensi testimoniô lucrabaris, illum blanda demisione, quæ summos decet, hunc pronô in omne fas alloquiô, illum expedita in donum manu, illos non ancipiti promisione, omnes Senatorio vultu, ut haberes animos, si à Te nullus recederet, sine recenti beneficio. Et ita unô prudentiæ vinculô traxisti multos, ut qui videbātur esse non TUI, jam se antiquos esse negent. Castra qua judicii moderatione sub Tuo tenuisti imperio? non ea lege Pænus fractis Alpenis montibus servaverat exercitum, cum ad Padum Ticinumq́ue primo fragore contra Scipionem detonuerit, ut hoc icta fulmine majestas Imperii Romini corrueret: non ad Trebiam, ubi secunda belli Punici procella desævit, ut pretiosam Orbis gemmam, Romanum Imperium, novo naufragio sorberet. Non ad Trasimenum, ubi Eques virgultis tectus palustribûs, terga pugnantium invasit, quasi vultum Romanum erubesceret. Non ad Apuliæ Cannas ubi vento, pulvere, sole pugna-

Florus Lib: 2. Cap: 6.

tum,

tum, quasi non satis erat ad excidium Romæ, nisi cælum, sidera, elementa, magnam Imperii dignitatem impugnarent. Non inquam providè servaverat; cum Alpibus, armisq; invictum, Campanæ deliciæ profligassent. Tu Imperator commissas Tibi legiones, pulcherrima integritate servasti. Non hic fluctuantes in obsequio animi: non Tribunorũ dubia in Ducem fides: non debilitatũ injuriis cælestib9 robur, non paucitate commeatûs exhaustum: non licentiâ recessus imminutum: non otiô nec delicijs fractum; sed ut acceperas, ita restitueras commissa, quibus servatis, servares Rempublicam. Exemplo magni Romanorum Fabii qui datam sibi à Senatu militum manum, non insolenti victoriis Pæno objecerat, sed ita invigilabat hosti, ut paratum timeret Barbarus, & de non lacessente dubitaret. Cum per Samnium totum, per Falernos, Gauranosq; saltus, sic maceraverat Annibalem, ut quem virtute difficile erat domare, consiliô, & prudentiâ Ducis frãgeretur. Hinc de Te publica acclamatio, integritatem suam Tibi debentium, Tuæ virtuti, Tuo consilio, Tuo præstanti, judicio, & per omnia ingenio, ut de Catone Velleius, Diis quàm hominibus simillimo: qui nunquam rectè feceras, ut facere videreris, sed quia aliter fecisse nolueras, nisi bene. Hinc ordinatum, ut ab hostibus, nondum pugnando, sed sola ostentatione armorum timereris. Hoc igitur summi judicii est, res ita componere. Parva sidera non præstant, quæ soles faciunt: nec lento igne scintillans lucerna, dispen-

Idem Lib. 2. Cap. 6.

spen-

Eruditi- magna, notitia m Ex- rum fticarũq; ibilisq; is.

ſpenſat lucem, quam excitat incendium. Magna flumina beneficiis alunt regna; exigui torrentes, infructuoſo murmure labuntur. Accedit virtus virtuti, ſplendor ſplendori, maturitati judicii eruditio: ſeque ita mutuò proſpiciunt, ut in quo unum excedit, alterum æmulatione ſuperet, nec minuendo unius, nec alterius æſtimationem deprimendo. Æqua lance dona hæc aurea librantur. Agnoſcimus: Tibi enim apertum eſt, quibus regnis Europa pulcherrima Orbis portio diteſcit: quo alluitur Oceano, quibus ſcinditur fluminibus, quas Provincias, Rhodanus Scaldiſque interſecat, quo fonte per præcipites meatus Iſter labitur, quæ littora Tagus aureis humectat arenis: quibus limitibus cohibetur Gallia, quibus Gadibus terminatur Hiſpania, & ultra Atlanticum ad Occidentem ſituata America: ad meridiem, monſtroſa belluis, & Lunæ montibus Africa, diſsimiliq; turba gentium: ad Orientem Aſia, populo, rerum diverſitate prodigioſa: & hæc omnia pluraq; Tuæ magnæ menti inhærent, tanquam in uno Orbis totus compendio. Sed exigua dixi: ingens animus rimatur majora: Tibi enim perſpicuum, quô ſtatû, quibûs baſibûs vicina regna ſolidantur: quibûs juribûs, quâ arte prævertunt nubium tractus, ne publica ſerenitas labefactetur, aut concuſſa ad ſoliditatem redeat: quo officio miles intra leges obſequendi habetur: modô, quô cum finitimis vetus amicitia colitur: quâ efficaciâ vulgus, nobilitas, magiſtratus, Senatus Urbes ſervantur; & ex omnibus Tua eligis, ut conſiliô facias

Rem-

Rem publicam firmam, quam nemo penitus agnoscit, nisi qui servando amat. Sed hæc non sunt intra limites arcanos, ut nesciaris. Delibamus sæpe ex tuo dicendi genere sermonis dulcedinē, sive privatô alloquiô dignaris tuos, sive congressu publico, sive inter convivantium consessum, omnisque sitis, & fames sciendi, sermone temperatur. Et nulla fateor nobiliora mensarum lenocinia, quàm erudita bellaria. Quid enim sunt æstivæ rosæ hyberna glacie ad mensas madefactæ? nisi ut pudore suffundatur, si peccat lautitia. Quid illæ conditæ mortes, quæ patinis circūferūtur? nisi ut sua funera horreāt. Quid liquores infusi pateris? nisi fortunæ naufragiū deplorēt. Quid pocula aurea gemmeaq; ? nisi ut hoc pretio sit venalior paupertas. At tuæ mensæ, quæ eruditione condiūtur, plus habent nobilitatis, plus pretii, quàm si ab extremo mari Carpathio, damnando sumptu, ostræi murenulæque legerentur. Tuæ mensæ Philippi Macedonis, aut Sapientum Græciæ; cum inter nativas dapum delicias, Rex novo armorum genere certaret, Philosophi tela repellerent, urgerent, pulchro certamine, pugnantium utilitate, cùm, qui interfuit, ditior recedat, quàm accesserit. Tota autem Tuæ scientiæ dignitas ab illo amore, quô in erudita volumina raperis, legendis impallescis. Quis enim crederet, parvo sudore ingentem scientiam nasci? Exigua gemma paritur in Paraquaria, at quantis mare turbatur procellis? quàm violento fluctu interni, sinus lacerantur? interdum supernos fragores, disilientium

nubium fulmina tolerat, minantia quasi Oceano, ni gemmas pariat. Et cælum rore lachrymatur, ut unionem habeat. Nemo scientiam à trivio sortitus: hæc pretiosis vitæ impensis emitur. Quam cùm abundè congesseris, meritò ad ferenda consilia vocaris, arcani publiciq; particeps: ne intra Te sit, Tuumq; nisi honorem, cum Te omnium utilitati, communis fortuna donaverit, scientia, Regni usibus formavit. Hinc quàm pretiosa Tui æstimatio, cùm ad prima subsellia, ad primos conventus, ad prima Senatûs consulta, discutiendis arbitriis adhiberis, ut ille, qui regnorum vices, retinendi in pace regna, artes habet, tanquam si ipse tulisses. Non Te sine, momenta rerum librat Augusta Majestas, exquirit de sensu, qui publicis usibus inserviat, Nihil enim ex Te intelligere minus potest, nisi quod est regno summum. Et ut Ganges Indiæ, Tagus Iberiæ, aurea secum ramenta, aut divitem glaream in suo decursu trahunt, quibûs vacua littora, subjectasq; planities ditent, aut paupertatem adjacentium aggeribus Urbium exornent, ita pretiosè Consul, eruditis consiliis ita consulis, ut nil, nisi aurea pacis jura, auream libertatem Respublica legat. Neget obtrectatio & livor, quæ pronis auribus accipiuntur. Apud quos veritas pluribus modis frangitur, primùm, inscitia Reipublicæ tanquam alienæ, mox assentatione, aut odio adversus dominantes. Te eventa boni publici probant, cùm illa perfeceris, quæ nec specie malignitatis obtrudi posſunt. Te sine non militare arcanum, dandumq;

dumq; legionibus Sacramentum: cum enim magnorûm Imperatorum bellandi artes, prælia, strastratagemata, in numerato habeas, qui Duces? qui Tribuni? qui Centuriones? qui Triarii? qui Velites? in Tuum sensum animo non irent, quibus edoces spem victoriæ posse concipi & victoriâ frui. Ita securi disponunt stationes, Castra metantur, invigilant hostibus, singulorum commodo, periculo nullo, quia Te ipso facis securitatem publicam. Non sic Crassus, adversus potentiam Parthicam, prævidit calamitates, cùm doctum exercitum in campestria arenosâ, circumfundendum jaculis objecerit. Non sic Marius, calliditates Iugurthæ, qui nunc amicitiâ, nunc precibus, nunc ostentu prælii, nunc objectu montium, nunc promissione, nunc auro, elusit Romanorum arma; ut Tu ILLUSTRISSIME prævideras, ante cujus oculos tota series pugnæ, victoriæ, triumphi, & omnium libertas versabatur, ut palam sit ad quātū fastigiū ascendisti sciētiâ Tuâ, si Regnū servas. Divinū quoddā est à longe, bona æquè malaq; regnorū scrutari; & demū quadā manu tenere bona, quibus augeatur Respublica, mala avertere, ne sit calamitosior, post scientiam, calamitatem non evasisse. Et Tuum est, Tibi à Ter Maximo communicatum, ut hac concessione, faceres, futura Tibi propiora, obviares malis, doceres reprimenda, haberesq; præsentia quæ sequerentur. Quid enim ille plenus Majestatis vultus, quid nativus vigor? quid valentia, in omnē dignitatem, corporis præsagire potuit? nisi ut pateret ad omnium utilitatem, hic esse domicilium

Florus L. 3. C. 11.

In magnitudine Animi ex præstantia Corporis habitu.

D magnæ

magnæ animæ. Sudaverat Plutarchus in depingẽda, pulchritudine Alexandri: Xenophon in efformando Cyri vultu: Homerus in Achillis, & Patrocli facie adumbranda: Suetonius in explicãdo Iulij Cæsaris colore candido, teretibus membris, vegetisq; oculis: Iovius in ostendenda Caroli V. venusta gravitate oris, & capillis, fulgore pallentis auri, circumtonsis: Sidonius in Theodorici Regis eminenti proceritate, nobis tantùm laudis de Te ab externo cultu, quantùm majestatis latet in animo. Ex tàm enim præstanti corporum habitu, magnarum mentium metimur imagines: & ex vultu hominis, ac decore membrorum, colligi posse, quantus illos, cælestis spiritus intravit habitator. Laudavit Pacatus Theodosium à forma corporis venerabili, quàm fortunæ suæ par fuerit, quàm longe lateq; conspicua commendaret imperia, ut planè in ambiguo fuerit, utrũ illũ magis mẽtibus, an obtutibus vultus insinuaret. Et in Te Divinus ille animus finxit habitaculũ pro sua majestate, quæ duo cum se paria junxerunt, sibi paria faciunt; ut dum se oculis hominum manifestant, agendo non sint dissimilia. Licet verò splendet fulgor ille Tui vultûs, non tamen spectantium lædit oculos, ut projecto in terram vultu, lugeant negatam sibi claritudinem, sed cunctis æquè liberum est accessione frui, ne vacuus redeat solatiô, si non spectasset. Si necessitudine gravati veniunt, non circumambiunt, palatium, spe vaga, & miserabili tædio; an aliquãdo, datura est dies alloquiũ Tui, finẽ optãtib9 positura,

Pan: Palaus Im Theod:

ſitura, quia facilem Tui donas copiam, ut his recedentibus reliqui animentur, facilitate beneficia tribuentis. Cui Tuam civilitatem? cui propenſionem magni animi? cui clementiam negaſti? non vili lacerna tectus inter obortas lachrymas repulſus: non ſupplex à genu rejectus: non veniæ exorator reus, ab aſpectu exturbatus, patiebare ſingulos ſingulis Te daturus. Non illa apud Te Principum aſſuetudo, quandam Divinitatis ambientium ſpeciem, qui, ut diſcrepent à turba vulgi, cooperti tanquam in ſacrario, humeris bajulorum circumferuntur, quorum ſplendor poſt nubes, & ſiparia, tamq; arduum eſt, illos accedere, quàm facile timere. Horror enī quidā ſecretus inhabitat, & ſeipum diſijcit per plures, ut non ſpectata plus timeant. At Tu omnium TE oculis uſurpandum præbes, qui omnium animos inſediſti, Regum, Ducum, Senatûs, Nobilitatis: & cum in animis ſummorum regnes, ne, non videaris, non facis ex Te arcanum myſteriū. Hac liberalitate vultûs, hoc favore conciliari animos: hæ acriores artes, quibus exploratur mēs magna. Nemo arduo aſpectu lucratus grandia: ſub ſereno vultu ſolis, ſementis excoquitur, nubes, & fulgura culmos infaſcinant, qui in ſua levitate pudore vacuitatis fluctuant. Malacia reddit ſecura navigia, tempeſtas disjicit; & portum tenet raró, qui nimis turbatur æſtibus. Illô ſuper cæteros emines, quod rarus æquaturus eſt, aut nemo, niſi Tibi fuerit ſimillimus. Virtus enim illa quæ omnium tranſcendit animos, aut arduitatem ſui facit, non poteſt alio, niſi pari confici

Sublimitas in Conſtantiſſimo affectu erga Auguſtam Majeſtatem.

æmu-

æmulatore. Tuum est ILLUSTRISSIME constans amor in Principem. Quæ enim Te fulgura terruere? qui fragores? quæ Provinciarum concussio? ut in Tua firmitate titubares. Eò jam adversa potentia excreverat, ut armis valida, viris exercitata, advectis legionibûs firma ænimata triumphis, bellico apparatu post victorias dotata, Urbium expugnatione formidabilis, obsequiô, deditione, cultu adorata, leges, jura, arbitrium poneret, Tibi necessitatem non injecit ut sequereris. Imò ille strepitus armorum Te excitavit, fulgor gladiorum accendit spiritum, instructæ phalanges irritarunt animum, ut ad has flammas militares, palam esset, Te non Tibi sed Majestati vivere. Cùmq; cæteri ancipites præsentiâ malorum fugerent, aut ambirent obsequium amoremq; novorum avidi, futurorum incuriosi, ut cuiq; spes, & fiducia servandi fortunas; Te nulla concussit calamitas, nec plurium trepidatio, nisi, ut non desineres amare Principẽ, quem cæpisti. Hanc benevolentiæ aram, hæc altaria Tuæ propẽsionis excitaveras, ad quæ integerrima cordis victima, litaretur pro Principe. Neq; Te vicissitudo fortunæ regiæ, neq; illicia precantium, Tuasq; ambientinm partes, neq; blandientium postulata, admixtæ minæ, promissionibus, honoribus, affectu temperatæ, mutaverunt; ut ex Te stabili, fieres ambiguus, ex uno, geminus, ex firmo, neuter, ex Te ipso, Tibi dissimilis. Quid non sustinet immota rupes, quam alto supercilio impugnant procellæ? minores fluctus acclini tergore

cir-

circumeunt, hâc quaſi modeſtiâ blandiuntur ut lædant: ſpumant eructant, iraſcentis Oceani indicia: gemmas jaciunt, ut venale faciant ſaxum, deque baſibus motum, dubiis diſcat ſervire procellis. O Tuum animum, ad pericula imperterritum! majori fulmine fatis incũbendum eſſet, quæ Te vel levi trepidatione moverent. Stat animus major grandi calamitate, par magnæ fortunæ. Nec ille ſummus eſt, qui ſpernit caſus, vacuo aſſultu, ſed cum habet, temnit; & negat ſe poſſe frangi, cum impetitur. At quos non frangerent incendia? ibant in cineres palatia, quaſi illa ſtare puduit in communi luctu, niſi faſtigia locarent in pulvere: urbes in flammas, & caſæ agreſtium in ignes aſſurgebant, quaſi hâc favillâ Martis ardor alebatur: decreſcebant in ſuis apicibus turres, jam tempus erat, ut ad victoris adorationẽ ſua capita demitterent. Interea turbatis, convulſiſq; populis, rerũ cardinibus inclinatis, cũ alii, gratias, latibula alii immunitates, & fortunas cineribus non ſepeliẽdas expoſcerẽt; Tu unum optaſti, ut Tu ipſe, Tuo Principi ſervareris. Qui ut ſtaret, parvi, cineres leves, & ventoſa incendia ponderaſti, ſub quibus injectæ domus quaſi reverentia Majeſtatis volvebantur, plura paſſuræ, plures excepturæ flammas, quæ pro Principe vigilarent: aut explicata luce oſtenderent, quo tramite ad Imperatorem feſtinandum. Plaudo, tantum Tibi animum à cæleſti arcano communicatum, qui, cum ſe ſupra pericula erexerit, nihil habet calamitas objiciendum, quô

 fran-

frangatur. Laudo integritatem fidei in Principem, cùm nec domorum ruina, nec fragminibus fortunarum commotus, desiit esse, qui non adoraret. Passus omnia subrui pro libertate, nullo sensu. Ut staret Romanum Imperium, Brutus non ægre jacturam filiorum amplexus: non futuræ posteritatis pignora lachrymis deploravit: non auxit dolorem accusatione fatorum, ne minus videretur egisse pro Republica, quàm pro filiis. Valerius Publicola, ad augendam liberi populi Majestatem, non offensus, eminentes suas ædes in plana submitti. Quasi putaverat, hoc casu spes publicas erigendas: hac cinerum commistione turbas involvendas: his reliquiis, molem dissidiarum obruendam. Quid illi plus pro Republica? quid Tu minus pro utroq́,? Si enim illorum publici boni amorem, si vetera contulerimus, minus laborasse spectabimus. Intra paucos enim stetit tota contentio, cui opponerent, & opponerentur; & pauci Tarquinii exigēdi erant, ut tota rediret securitas. Hic non una belli granditas, non unum robur, non exiguæ legiones, non una animorum procella, inter tot convulsiones, vitam omnibus, & Principi dare. Præstitisti, ut ostenderes, qualem Te Tibi, qualem Te Regi, qualē exēplis debes. O utinā Regū vertices, pares habeant, in quorum sinu, placida mente quiescant! quibus corporis valentia intrepidè committi, consilia arcanaque animi tutò locari. Dat fortunam regnis, qui Regibus amorem: auget, qui servat. Hoc enim à brevibus exordiis in subli-

[margin: Florus Lib. . Cap. 9.]

me

me elevantur imperia; desinente, summa fastigia in exitum labuntur. Quis enim dissidiis stare regna vidit, & odio imperantium? utrumq; se levat alterno adjutorio, nec stat uno cadente, utrũque ruit, uno avulso. Tua sunt exempla, ut sequantur: Tua sunt rectefacta, ut faceres exempla. Nihil ex Te omissum, quod non fecisses: nihil fecisti, quod non Maximis imitãdũ proposuisses: nihil proposuisti, quod non Maximi mirarentur: nihil mirantur, quod non sit summũ: nihil est summum, quod non sit Rege plenum.

In Experientia & Felicitate, Expeditionum bellicarum.

Et quia tantùm Te exhibuisti Regi, majorẽ Te fortuna exhibuit Regno, & Europæ. Formavit enim Te magnis Bellatoribus parem, datura Ducibus majorem, aut æqualem Tuis in Tua domo Ducibus, qui Te sæculis superaverant, non animo. Quid enim illa ætate non egeras, cùm ad Tuum arbitrium legiones starent? docuisti experimento, quantùm animo, quantùm viribûs, quantùm arte, quantùm congressu hostium valuisti! Et primò Tuum erat, noscere Tribunos, Cẽturiones, Milites, singulorum annutus propensos, aut reluctantes: cui gubernacula committerentur, ne turbatô obsequiô turbarentur universa. Quem locum eques capere, quæ stativa, quas obire vigilias, hoste in proximis agente, quas excubias disponere, quibûs arctari aggeribûs, claudi fluminibûs, sylvis muniri, Velites excurrere, quo loco, qua parte hostis latitet, gressum promoveat, an regreditur? ne, si repentino fragore tumultum infuderit, spem dissiparet victoriæ, &

victoriam. Ideò nihil decreverat hostis, tam oculata mente, quod non prævertisses. Consilia hostium, molitiones, antequam agerent disjecisti; & tunc nondum actis, ipsâ jam mente, populo, Regi, Reipublicæ, Orbi, Europæ, Gloriæ Tuæ militasti. Noscebare à militibus: exercitui bene velle, merita æstimatione versare, virtutem præmio, obsequendi alacritatem, pugnandi ardorem, officio militari attollere, servare promptitudinem animi, ne decresceret. Paucorum est, cùm imperaverint, imperio scire uti. Militum animi ægri, & novitate mobiles: Dux est, qui moderatione emollit, aut ita blandis tractat lenociniis, ut vulnera pendente manu. Inde suum Te laudaverant, ut Gratianum Gallicæ legiones, Valentinianum Italicæ, Theodosium Hispanicæ, Drusum Romanæ, Claudium Cæsarem Britannicæ, quibus bene præstitis, putabas Te nondum satis donasse; cùm enim pulcherrimo regimine moveris, ut semper regeres, reliquisti Tui desiderium. Non semper est eadem parentium, aut obsequia volentiũ, ut & qui paret, sitim obsequendi habeat, & qui imperat, non extingvat. Quam etiam prompta Tui reverentia! nihil honore Tui in itinere moliebantur, quò læderent! Non transgredientium Provincias insolentia, non populi lachrymæ post terga obeuntium volvebantur, non clamor ablatorum, non gemitus oppressorum, non portæ suis basibus amotæ, non plebs dispersa, terror præibat, qui Te hosti sequentem nuntiaret. Tu vero antequam cum hoste confligeres, miseratione cum

ege-

egenis certasti; antequam hostem vinceres, liberalitate vicisti; antequam ad prælium signa dares, turbam admisisti postulantium; ut prius erigeres trophæum dando, quàm spolia hostium dividendo. Gratulor hanc felicitatem, raram, belli enim æstus sternit quidquid obvium: miraculosam, ut prius vincat, quos vincere pudor est, nisi largiendo: Divinam, ut per beneficia vincat hostem. Tuum ne est? meritò non alienum, qui ex Te Tuum fecisti, ut ita ordinatis singulis, iter parasses ad victoriam. Cùmq; ita militari disciplina excultos tenuisses, fregeras omnia more turbinis, qui ubi invaluerit, objecta quæq; aspectui, suisq; radicibus inhærentia concutit, evellit, dejicit, apices turrium renitentes, densa querceta, & tum demum mitescit, cùm videat prostrata, confusa, cineribusq; mista, quasi hac nisi demissione optaverit adorari. Tu verò terrore Nominis, adeò hostem exanimaveras, ut non illum propugnacula tueri, non difficilis locorũ accessus, non fiducia in armis, aut artibus quæsita victoria potuerit; sed pulsus Provĩciis Urbib, spẽ totã in propero abitu locaverat, ne victorẽ Tuũ vultũ spectasset. Quasi hãc suã fortunã esse censuit, si Tecum prælia non probasset. Si enim e longinquo, nondum Te viso, tam gravem formidinem sensit, qui terrores? quæ fulgura? quæ minæ? in hostem tonarent Te præsente? quæ tela in hostem erumperẽt? amore Tui. Hæsit parumper in Borussiæ campis, lucraturus fortunam, si posset: clausit se non parvo munimine, vallo, propugnaculis, præcipiti

fossa

fossa; sic enim se omni parte tuetur, qui fiduciam victoriæ non habet. Ne tamen inglorius, intra mœnia, lenta tabesceret indigentia, dispositis ordinibus in aciem progressus, conflicturus, ut à Te vinceretur. Quis enim à Te tam præstantissimo Duce vinci non optaret? si ubi ipsa Cæde, cadavera, in trophæa victis assurgerent, ex vulneribus gloria immortalis profluerer quod à te delerentur. Dimicavit vero tecum acerrimè: non illi enim defuit bellandi pertinacia: servare ordines, instare, premere, non defluentibus in terram viris turbari, non cadenti cadavere, non sanguine erũpente flecti: sed à Te potentum vis incubuit, quam & Te, relictis cadaveribûs in recessu adorarunt. Conjice ex prono in terram hostium vultu, quantum timebaris! si formidine pænæ, facies in pulvere locarunt. Conjice Tui pretium, si quod Tecum conseruerint arma, vultus in terras demiserint victos, pudoris officio. Conjice ex dissipatorũ fuga, ne qui majorem Tuæ experirẽtur fortunam victoriæ, consultum ivére, ut se integros servassent intra Urbem, quos iterum haberes ad vincendum. Nec interrupisti cursum victoriæ. Admoveras Urbi legiones, & refugos, obluctantesque inclinasti ad Tui clementiam, ut peteretur. Nolentes subjecisti triumpho, ut non haberent jactantiam, Tuam fortunam effugisse! Quantùm hác victoriâ lucratus es Reipublicæ? tantùm: quia hostis timere inchoavit, qui negavit se posse vinci. Quantùm Regi? tantùm: quia imminutis hostibus securiorem fecisti. Quantùm

libero

libero populo? tantùm: quia se ipsum cœpit tueri non gratiâ alienâ. Quantùm Urbibus? tantùm: quia sibi census, sibi sua legebat stipendia. O victor magnanime! cui cessit hostis, portæ patefactæ, populus ad videndum, & lætitiam effusus, ut nulla pars beatitate vacaret post victoriam. Hoc enim ad publicam pertinet fortunam, ut cùm Duces fruuntur triumphis, commune bonum gestiat alienô beneficiô. Dum enim præliantur suis & suorum viribûs, ad decus æviternum suæ gloriæ vincunt, vincunt omnibus. Tantùm publici congressus sentiunt! tantùm opperiuntur, ut habeant ab aliis, si ipsi præstare non possunt. Et nuper objecisti Te Orienti, parva manu, atterendis tamen Lunæ cornibus sufflectura. Tunc non provocaveras, ut ex amico faceres hostem: non illam agendi seriem disposueras, ut Te redderes suspectum de amicitia: Ostentabas arma, ut & faceres amicos, & non læderes suspectum hostem. Quid enim gravius meditandum, quàm ne quem colueris, habeas alienum. Expectabas nisi, quo fine partium inter se læsarum vulnera sanarentur? quo medicamine obduceretur cicatrix? qua lege pax armis irritatorum terminaretur? sic alieno discrimine, Tuam & omnium metiebaris securitatem. Nihilominus non intermissum, quod esset ad gloriam, ad terrorem Barbarorum, ut miles expedito agmine staret ad eventus, acueret gladios animumq;, nosceret hostium, vagos transgressus, paratos nocere, ut quá opportunitas panderetur, pronos regredi, si nosceretur

In prudentissimo Re[...] [...]n Exer[...]tûs in P[...]l[...], ad li[...]tes Othomanico

libido

libido nocendi. Sic ad limites continuus speculator, qui ferret subitaneos partium casus, ut ex præjactis legeres agendorũ documentum. Hoc est alienis damnis ordines instruere pro Tuis, qui regerentur. Ita ab hoste nihil innovatum Te Duce vigilante: coërcita turba rapinis assveta, ostiis Danubii & Euxino impendens, tanquam carcere inclusa, reverentia fœderis, & Ductoris: & ne nocuisset, quanquam arduum est, fami jura imponere, modestiæ laudabili posthabuit aviditatẽ habendi. Sic omnia sinè prælio vicisti, præliaturus, si hostis à Te triumphalia vulnera optasset. Sed quia maluit adoratione Tui, & pacis certare, gloriosum Patriæ reduxisti exercitum referendis posthac victoriis. Duo igitur peracta sunt, & æternitas Nominis Tui, & integritas militum, illa nunquam rectefactis Tuis interitura, hæc, ut quibus terreas Orientem iterum, aut Septemtrionem vincas est relicta. Ferant utinam paria documenta Te secuturi, ut & servent suos, & hostẽ vincant, aut ne sæviat cohibeant. Utrumq; difficultatis, at qui supergreditur, tam primus est regendis, quàm imperio.

[c]ōmissus [le]gationibus [S]eptemtr[io]n, & O[rien]tem Tur[c]icum.

Ad quantum verò eluctatus es æstimationis fastigium, collige ex ponderibus legationum, quæ paribus ferendo oneri humeris imponebantur. Constare debet, Te illum, cui tutò Majestas Principis, Regni potentia, Senatûs authoritas, dignitas Equitũ committi posset, & ita tractari, ut coram extero sole pateret electum Te pro omnibus, de omnibus. Nec ambigendum, summos esse, qui

Le-

Legatorum funguntur officiis. Hæc omnia imperia à suis requirunt, ut misisse tantos regna nõ pudeat. Hic excelso animo, & ad casus novos impavidus, quem, non, ex arte fabricata hostium tela ad facilè flectendum animum dimoveant à proposito, nec blanditiæ, aut ad speciem ostentata boni publici promissio fallat, & multiplex assentantium concursus eludat; sed qui, judiciô, prudentià, consiliô vigili, machinationes circumvenientium rimatur, antevertit, per suos, publicos privatosq; asseclas, solerti indagatione agnitos dissipat laqueos, ne videatur, ignorare, tantum hostes, in sui, Principisq; periculum laborare. Hic comitatis plenus in accessu, alloquiò, adventantium occursu, recessu sua repetentium, offenso nemine, singulis multo affectu recedentibus, amicitià totà, authoritate non læsa, ut qualem se vidit accessisse, spectet se redeundo non imminutum. Hic arcanorũ tenax, noscendis alienis studiosus magis, quàm suis recitandis: nec ut cui libitum divulgandis, at à quo pendent decretoria eventa. Premendum est quidquid latet. Gemma diu, inter sua lucida cunabula, geminasq; tabellas, in arcano suæ nutricis sinu hæret; nec mare abjicit, nec se videndam publicæ luci exponit, nisi cum naturæ ordo indulserit, tum se coram Principe planetarum ostentat, solicita, gloriæq; avida, non tam ex pretio, quàm ex servato mysterio. Tu ILLUSTRISSIME, cùm, destinatione Principis, & Reipublicæ, ad munera legationum legereris, ad sedan-

das procellas cum Imperatore Othomanico, majora in Te Majestas vidit, quàm quæ in cæteris laudari possent. Fulgor enim ille meritorum, qui per omnium oculos ferebatur, ita impleverat Rempublicam, ut Te, nisi primum in Regno sidus, extingvendis turbarum tenebris, & abolendæ à Luna eclypsi viderent: aut ne eclypsis umbras spargeret, Te publicam lucem objecit. Talem Te Senatus vidit, talem omnium ora loquebantur, talem Equites Regni, talem legiones, Tribuni, Duces, talem celebre judicium, rerumq; peritia, talem Tua dignitate Te ipsum probasti. Evertite sæcula Annaliũm, miremini in Cynea Pirrhi Legato eloquentiam, qui adeo vehementiâ dictionis hostes flexerat, ut plures suo Regi Urbes subjecerit suadendo, quàm Pirrhus armis bellando. Tibi plura commisit Majestas, ut Sarmatiæ Tuæ tã grãdẽ inclines Orientẽ. Age, perge felici passu, Oriens humeris ferendus est. Nihil hic leve, ne sidera quidem. Nihil blandum, ne Luna etiam, quæ vultum in cornua efformavit, terrori an amori? Te nihil terret; quis enim bellatorẽ animũ cõcutiet? assueta mens adversis, ridet fatorũ vertiginem. Longo usu scopuli, fluctuum assultus, patientiâ tolerant. Maria salsis innutrita vaporibus, dulces influxus negligunt. Et Te nulla negotiorum moles, nulla noscendi in hoste animi, nulla in perficiendis angustia conflictabit, quia Te ad omne adversi genus, magnitudo animi lactavit. Elegit igitur Te, qualem Princeps, & Regnum optaverat, Tu merebaris: qualem mere-

reba-

rebatur Rex, Tu feceras: qualem omnes intendebant, Tu desiderasti: qualem Respublica desideravit, Tu præstitisti, ut non alius eligeretur: nisi qui omnium desideriis respondisset. O utinam non dissimiles regna habeant! qui, cùm omnia rectè composuerit, etiam Orienti amicitiæ leges ponere possint. Hoc enim magnum est: septuaginta regnorum helluo Summos sibi opponi postulat, ut cum viderit, ante conspectum demittat fastum. Nulla enim magis arrogantia atteritur, quàm dum non timetur. Assurgit si demissione nutritur. O quantis Te votis, omnis ætas comitabitur! quantis desideriis reditum suspirabunt, ut suis calamitatibus finem imponant! Reditura sibi aurea momenta suspiciēt; quia nihil ferreū ab aureo Oriente ferendum sperabunt. Præibis velut aurora, solem illaturus Regno, funesto occasu non terminandum. Iam enim satis umbrarum fuit, ad quas, communis splendor felicitatis, tāquam ad sepulchrum damnatus ingemuit. Quid jam tenebris involvendum? nisi vetus fatorum acerbitas, rea sceleris, quod omnibus lachrymas extorserit. Utinam fuissent, doloris, & angustiarum remedium, aut hostium naufragium! Tu tamen omnem, quam nobis lætitiæ materiem pacisq; abstulerat armorum horror, restitues composita tranquillitate pacis. Tunc Tibi pleno agmine occurret, sacro nexu fœderata TARŁONUM Domûs, primis in Senatu subselliis celebrata, Cancellariis, Palatinis, Castellanis, Præsulibus: & hæc patente amplexu in adventum se

In Conj[...] ctione pri[...] rum Fam[...] arum in [...] gno.

 pro-

prorumpet, pretium omne TE uno æstimatura. Redibit tanquam post fulminum iras, & nubium conflictus, & tonitruorum fragores, cælum sudum nulla caligine miscendum. Tunc Tuis auspiciis arator, diu otio squallentem terram versabit, gaudebitq; suos culmos de vulnere nasci. Hucusq; SAGITTÆ TUÆ meta, quæ supergressa est vitium, parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti, & invidiam. Tu enim ILLUSTRISSIME PALATINE, cùm Tuis dotibus superaveris, & meritis quidquid æmulatio objecerat, compescuisti alienos spiritus, ut infra Te essent: quidquid studii minoris in commune bonum emanaverat ab aliis, Tu prævenisti, ut Tua essēt prima. Evolaverat Sagitta hæc in sublime, sed hoc & Tuum est, & alienum. Illo vertice suo, quô in cælum erigitur, quid ostendit? nisi Astra colligatæ cælestis Domûs Tuæ, quæ nunc in primæ magnitudinis sidera, nunc in Soles, & Lunas nunc in reliquos, planetarum ordines coaluerat. Hic à Tuis Atavis OSSOLINSCIORUM Asciæ fulgurant in Romano Capitolio, Legationibus, & acumine dictionis celebres. Hic lactea via à LUBOMIRSCIORUM Srzeniawa, an Eridano in Chotimensibus campis, Viennensibus, sanguine Thracum purpurato. Hic DENHOFFIORUM capita in magnis SENATORIBUS Principibus Severiæ, pro Regno laborantia. Hic RADIVILIORUM Ducum Aquilæ & Tubæ, per Orientem usq;, & Diviniorem Palestinam vocales. Hic POTOCCIORUM Cruces, plusquam

qui-

quindecim Ducibus exercituũ Illustrissimæ. Hic KALINOWSCIORUM, DZIAŁYNIORUM Sagittæ, Fasciæ GĘBICIORUM, hic BIDZINSCIORUM, IORDANORUM, SWIĘCICIORUM, & multiplici titulo numeranda arma, sive stellæ, quæ aut coelum jam impleverant, aut Regni Orbẽ illustrant. Hæc Tua sunt, & aliena. Tua, quia à tot sideribus, splendorem sanguinis & nexûs derivasti. Aliena, si nihil de Tuo accesserit: sed tãtum de splendore collegisti Tuo, ut & Tibi & alienis commodaveris.

Conjicio plura adhuc ex Tua Sagitta, quæ se suo apice in coelum erexit. Hæc Tua eminentia est! Alii gloriosâ facta sua imprimunt duris marmoribus, ut sint duratura: illi pyramidibus, & colossis, in sublimiùs extollunt, ut hac saltem altitudine, sua facta humi reptantia erigant, ne inter cineres sordescant. Hi picturis laquearia distinguunt, in quibus bella, triumphi, hostes vincti compendibus inter colores gemunt, aut inter umbras, odium victoribus minantur. Hi per plana tabularum, segmentis effingunt victorias, Tua sagitta coram sideribus testimonium deponit, quantum in rectefactis laborasti. Nemo inficias ire potest, nisi qui aut simile agere non potest, aut odit. Mirentur hæc Tua facta. Vnde ne frustra Sagittæ acumen in coelum prospiciat: stupescit locatum esse hic Herculem, sidera Theseo occupari, Geminos, Arietes, Leones sævientes, & quasi queritur, non his monstris astra tenenda, sunt Tuis virtutibus tanti fulgores, tanta nomina, ut

H hoc

hoc telum Sagittarij, aſtris inferatur. Qui enim digna aſtris agit, cæleſtibus ſunt ſplendoribus imponenda. Nemo altiora meretur, qui agit levi tantum penicillo pingendum: aut atris mandandum coloribus, aut blattis diſcerpendum: ſupra alios eſt immortale, quod excedit tineas, & vagos cineres; Tuis virtutibus in metam aſtra ſunt deſtinata, Cùm enim ſint immortalia, æternaturis fidenda monumentis. Nec rubiginis quidquam in Sagitta: ſplendor omnis in ferro. Sagittam enim hanc excolvit armorum uſus, & Barbarorum ſanguis. Cum enim hoſtium capita, cervices, pectuſq; tranſageret, in ipſis hoſtium vulneribus lucem meruit. Cruor profuit ad ſplendorem, mors cæca proſtratorum cadaverum ad fulgorem, umbræ ad ſolem, buſta feralia ad trophæum. Ita nihil eſt quod ſagittam lædat, ne hoſtis quidem ſupra omnes caſus eſt, & ſupra titulos inglorios. Nihil enim agit quod ſit humile, ſupra terras eluctatur, quas cum reliquerit ſublimitate meritorum aſtra tenet. Non ſerpit humi, ut tardæ myricæ, aut arundo littoribus maris affixa, & vario ventorum motu acta: aut parva nunquam in altum ſurrectura virgulta, ſed ſidus eſt, quidquid ſagitta petit. Ideo pennis circumdata noſcitur, ut ſe in aſtra attollat; quaſi nihil commune, cũ terrenis. Numinibus habeat. Deoſne ſibi cognatos noſcit? ſupergreditur omnia, quæ cinis habet: vile eſt quod terra gerit. Sudandum ut ſupra orbem ſit. Cave impelli nervo ut evolet; magno ſpiritu impellitur, quia ſumit animum roburq; ab ardore Tuo bellandi

landi

landi. Metam ne quære. Hostis est cui tamdifficile, à Tua Sagitta vulnus effugere, quàm illi facile erumpere, Nec leve vulnus infligit, levi pēna notandum, Cicatrix grandis restat, quæ ab acuto Sarissæ stylo inhæsit pro ingenti nomine Tuo laborat, non parva, pennâ posteritati scri, bendo. Magno stylo perficitur opus, cùm nec Tu egeris, nisi illa, quæ magnos decet. Permitte Sagittam avolare, cercumferat nomen Tuum Æstimatissime Senator: si Te nondum Luna Othomanica novit, erumpat in Orbem Lunæ, redeat fortunato auspicio, ubi de se excitaverit admirationem, amorem, & terrorem: Sed jam nosceris quis enim in sublime elevatos ignorat? Magnæ turres, non effugiunt spectantium oculos: palatia sūptuosa, miracula vulgus: habet: muri Babilony, & Rhodij colossi, stuporem excitant: Tibi nihil humile est, prodigia meritorum habes: erit-eum aurora Orientis ad spectaculum descendet, Tandem dubium mihi est, Sagitta hæc, ferrône-an magnete tegitur! Ferrum est: dum enim sternit hostes, non læditur, casu non frangitur, adversa non nocent. Sic stat ut pugnat, sic triumphat, ut stetit: sic erigitur in hostes, sic erigitur in trophæum. Nihil mutationis habet, nisi cùm inclinatur, dum hostes in terram allidit: tunc se erigit cum vicerit. Flammas pugnantium non pavet, tunc magis exardescit, cum hostis præliando friget. Accede hostis si torpescis, ab hoc ferro incalesces: nihil enim frigidum habet ferrum hoc, naturam amisit, & ignis est. Si pugnaveris

 scin-

ſcintillas ſenties: ſi perſeveraveris incendium erit: hôc calamitatem probabis, & bis cinis eris: ita in Tua pugna evaneſces, & Sagitta perennabit. Magnete armatur, in ſui enim venerationem, etiam ſerrea rapit pectora: & prodigium eſt, à Te, in Tui non rapi amorem. Ambroſium nectar Deos rapit inſui guſtum, gemma Balthidis leves ſtipulas: florum primitiæ Regum manus, Tu omnes in Tui aſpectum, & adorationem.

limitas ſsiſsimi, Fundatio- Collegii borienſis Amore ietatis V

Etiam minimã SOCIETATEM æternis tuis honoribus obligatam. Non hanc tantùm, quam Tuis ſæpe advolvi pedibus vides; adhuc enim breve Compendium noſtræ propenſionis daretur; ſed Orbe toto diffuſam, non enim intra parvos arctosq; limites, nomen Tuum adorabitur, at quâ parte Orbis, SOCIETAS ſe porrigit, celebraberis, ut not tantùm noſtros, etiam exteros ſoles in admirationem Tui rapias. Quantum SOCIETATI donas, cùm Tuam Tibi facis beneuolentiâ. Ibis per Romana Capitolia, prædicaris jam coram Pontificum oraculis, per Italiæ Collegia. Parum innui, per Europæ regna, ubi aut Hiſpania cadente Sole excipitur, aut Galliâ Pyrenæis includitur, & Alpibus horret, fluminibusq; haud vadoſis! aut Germania, Belgium, Anglia Septemtrione algida, aut Pannonia Auſtriaq;. Hoc iterum exiguum eſt. Feret te Societas in Orbem novum Americæ, ubi pretioſis montibûs tumet Peru, aut Braſilia fluctibûs æſtuoſis adjacens Mexicani regni potentia novæq; Hiſpaniæ ſolidantur. Ibis in orientem

ubi

ubi longo situ extenditur Asia, & Goani portus, suo lætantur Xaverio: per Sumatræ Philippinasq; Insulas, & Sinæ Imperia: Africæ Malabaros, & spei promontoria: & in omnibus tot regnorũ Provinciarumq; Collegiis, FUNDATOR MAXIMUS legeris. Assurgent ad Tuum Nomen graves ætate Patres, mediiq; Viri, & modicâ pubertate maturi. Stabunt ad altaria Tuæ prosperitati litaturi victimas: non uno censu, benevolam compensaturi manum. Inferent nomen, Annalibus suis æternaturum, & beneficia Tua, crebro recursu repetenda. Iam Illustrissimorum Parentum Tuorum FUNDATORUM Collegii, Orbe toto, ad suggestus celebravimus, duraturis celebraturi sæculis. Manet Te hæc gloria, nullo ætatum decursu obliteranda, quia nihil tempori, omnia æternitati donas. Vt & Cineres Matris Tuæ Æstimatissimæ, qua pretiosius Collegium Samboriense fecisti. Suspicimus Palæstinam Orientis, cineribus Paulæ, Melaniæq; æstimatam, aut Bizantium Pulcheriæ Imperatricis, majora nobis concessit cùm illarum cineres, in cineribus quærantur, nobis recens gratia donata, ut quia vivam non possumus, adoremus sepultam. Ex hoc busto perpetuam legemus memoriam, in Te vivo vivere Matrem. Tuamne Illustrissime an Nostram? utriusq;: Tuam, quæ te in communem exposuit lucẽ, non ut Tuæ MAGNIFICENTISSIMÆ DOMVI esses fulgor; hoc enim adhuc privatorum esset beneficium, sed ut regnorum sidus noscereris, Nostram; hæc enim cum Illustrissimo Genitore Tuo

dedit serenum Collegio ortum, datura progressum lucis, si non ad sepulchrales descendisset umbras: sed hæc à Te Illustrissimo expectatur gratia, facturo nobis meridiem. Ambimus hanc pleno annutu, & supplici genu ut illa parva exordia in fastigium assurgant, præsentatura sideribus, Tuis nos foveri beneficiis. Ita est: nihil igitur hic mortale leges, quidquid egeris immortalibus saxis donabitur. Nec humile quid meditaberis: surgente enim mole, crescet magnitudo nominis, ascendentibus in summum altaribus, pietas, & vota in Tui reverentiam elevabuntur, nihil majus recitatura ad aras nisi Tui memoriam. Corruerint multæ Romanorum veterum, prodigâ impensâ fabricatæ Ædes: tempus enim edax, facilè de tabula Vrbis, & Orbis erasit: aut enim ad arrogantiam, Circos, Amphitheatra, porticus extulerant, aut templa ad speciem falsæ Divinitatis; opus quod moliris Illustrissime æternum est. Non enim hic ostentatio profana, non cultus incerti; facili casu mutabiles; sed Ter MAXIMO conspicua eriguntur: quibus, cùm summum verticem imposueris, astris, & Orbi palam fiet, quod post Honores in Senatu, Amorē Reipublicæ, Merita bello, paceq;

SVPREMA EST META SAGITTÆ

Nil dedit exiguum; celeri fortuna sagitta
Nil leve, si ferro cincta sarissa gravi.
Aut petit impulso præceps in sidera nervo!
Aut redit in teretem, fessa sagitta globum.
Illic astra tenet, fixis pendentia stellis!
Vrbes hic, magni dum redit, Orbis habet.
Si volat in turmas densas, aciesq́ Gradivi,
Ima sub arcano pectore, corda ferit.
Nec Deus immunis Macedo, quem lædit arundo,
Et docet esse Deum, ne Deus esse velit.
Cumq́ suo telo, tabum profuderat hostis,
Pro Regis vita, dona sagitta bibit,
Crede. Dijs Magnis nostræ placuere Sagittæ
Armavit quoties Magnus Apollo latus!
Et cannas ferro grávidas jaculatus in hostem,
Vt parvos medio pelleret Orbe, Deos.
Quid Palatinæ Valeant, quid jura Sagittæ?
Si telum, vultus tollit in astrá suos.
Non humiles habet ista Deos Domus: illa sagitta
Si tantum Magni respicit astra Iovis.